UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni Bredenbachij S. Th. D.||

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

13. Quomodo Petrus Bruleus concionatur Sacramentarius Tornaci per murum fune dimissus, inopinatam Dei persentit vltionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-65002

Visual Library

bus elapſis horrenda voce exclamat, ſe damnatum, nullam ſalutis conſequendæ ſpem reliquam, & quotquot iſti voluptariæ Lutheranorum. ſectæ ſeſe dederant, damnationi obnoxios, atque ita toruo adſpectu, & oculis horribiliter flammarum in modum lucentibus, deſperabundus extremum ſpiritum exhalat, omnibus Chriſtianis exemplum ac documentum relinquens, quàm periculoſum ſit ab Eccleſiæ vnitate ad nouas doctrinas deficere.

Laurentius Surius in Chronicis Anno 1544. Petrus Brulius concionator Sacramentarius Tornaci per murum fune dimiſſus, inopinatam Dei perſentit vltionem.

CAP. XIII.

GAllus quidam concionatur factione Sacramentarius, nomine Petrus Brulius, Argentorato proficiſcitur Tornacum, Neruiorum inſigne oppidum: & primum apud Tornacenſes, inde apud Inſulanos Flandriæ vrbem priuatim ſpargit virus Sacramentarium. Vbi Tornacum rediit, ab amicis per murum fune dimittitur, ſed cælesti cum vltione perſequente, dum humi ſedet, quidam ſubmiſſa voce ex muro ei ſalutem precatur, at ſimul ſaxo è muro reſoluto ſedentis crus perfringit. Tum miſer ille dolorem cruris & frigus hyemis (erat enim Nouemb. ſecunda dies) non ferens, voces dat lamentabiles; ſicque

ſeipſum

ſeipſum prodit vigilibus, qui mox accurrunt, & hominem in carcerem includunt. Non diu poſt flammis exuritur. Felicius è muro Paulus Apoſtolus olim elapſus, totum mundum Chriſti Euangelio compleuit: Idem conatus non defuit Brulio, ſed longè diſpar cauſa non eoſdem habuit ſucceſſus. Hanc hiſtoriam memini me audiuiſſe Louanij ex doctiſſimo viro M. Leone Tornacenſi, Theologo, anno 1564. antequàm Laurent. Surius ſua Chronica euulgaſſet.

Hieronymus Bolſecus Medicus Lugdunenſis in vita Ioannis Caluini cap. 22. De varijs morborum generibus, & horrenda morte Ioannis Caluini, hæreſiarchæ.

CAP. XIV.

AD extremos, inquit, Caluini annos veniamus, quàm varijs ante obitum morbis afflictus conſumptúſque fuerit. Scribit Beza ptyſi, colica, aſthmate ſeu reſpirande difficultate, calculo, podagra, hæmorroidibus vexatum fuiſſe, præter ſibi familiarem hemicraniam & acres capitis dolores, quibus plerumque torquebatur. En tibi varia & diuerſa, quæ ſimul in ipſum ingruerunt morborum genera, & cum quibus valdè miſerè per multos annos, imò verò vſque dum ſpiritum exhalaret, conflictatus fuit, certum & expreſſum diuinæ aduerſus eum iræ iudicium ac teſtimonium. Quod ſi quis multos etiam ſanctos ho-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN